

## 1370-1370- OFP - Acta Capitulorum Generalium Valencie Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.  
 Hec sunt acta capituli generalis Valencie celebrati de provincia Aragonie  
 Anno Domini · M° · CCC° · LXX° .

### **Iste sunt inchoaciones.**

Inchoamus hanc: Quod de beato Benedicto fiat festum duplex · xxi · die mensis marci.

Item. Inchoamus hanc: Quod de festivitate omnium sanctorum fiant octave et dicantur per octavas lectiones de communi martyrum, donec per magistrum ordinis de lectionibus sit provisum, et post dictas octavas festivitates sanctorum quatuor coronatorum et Theodori in feriis immediate sequentibus vacantibus celebrentur.

Item hanc: Quod de sanctis angelis fiant octave, sicut de sanctis octavas habentibus, ut in ordinario est notatum.

Item hanc: Quod festivitates trium lectionum, quando impedita fuerint, transferantur.

Item. Quod capitulum generale de biennio in biennium celebretur, et volumus, quod omnes predicte inchoaciones medio tempore observentur.

### **Iste sunt approbaciones.**

Approbamus hanc, quod de translacione beati Thome de Aquino nostri ordinis fiat festum totum duplex · xxviii · die mensis ianuarii, et quod in crastinum fiat festum de beata Agneta secundo.

### **Iste sunt confirmaciones.**

Confirmamus hanc: In ordinario, ubi dicitur: quod omni tercia feria, addatur sic: quod a deus omnium usque ad primam dominicam adventus in tercia feria, si sit missa de beato Dominico, secunda oracio sit de beato Petro martyre vel de beato Thoma, nisi eadem die fuerit festum trium lectionum, aut alicuius sancti memoriam habentis, et quod istud alternetur, sicut quando ebdomada erit de choro dextro, dicatur oracio de beato Petro martyre, et quando erit de choro sinistro, dicatur oracio de beato Thoma, doctore nostro eximio de Aquino.

Item. Confirmamus hanc: In ordinario, ubi dicitur: de beata Maria Magdalena fiat festum duplex, addatur et dicatur sic: et de ipsa fiat memoria per octavam eiusdem in matutinis per antiphonam: Intercede supplicans etc.; versus: Dimissa sunt etc.; oracio: Largire etc.; et de beato Vincencio fiat idem in matutinis per antiphonam: Beatus Vincencius; versus: Corona; oracio: Adesto; in vesperis antiphona: Assumptus; versus: Gloria et honore; oracio ut supra.

### **Iste sunt admoniciones et ordinaciones.**

Inprimis cum ex verbis immoderate prolati aliquando ipsi veritati quam plurimum derogetur, et apud audientes non modicum scandalum generetur, prohibemus districte, ne fratres nostri ordinis in disputacionibus vel promocionibus aut aliis suis locutionibus quibuscumque de facili dicant aliquid seu asserant esse hereticum vel erroneum, nisi ex manifesta causa et deliberacione cum maioribus prehabita diligent; quod si secus actum fuerit per quemcumque, talem temerarium voce privamus simpliciter in officio predicandi.

Item. Cum propter ignoranciam eorum, que agenda sunt, plures in devium facilius prolabantur, volumus et ordinamus ac in virtute sancte obediencie precipimus, quod de cetero acta capitulorum generalium sub sigillo magistri ordinis et acta capitulorum provincialium sub sigillo priorum provincialium et vicariorum eorumdem ad provincias et conventus per illos portentur, ad quos de iure secundum consuetudinem ordinis pertinebit, imponentes sub tenore eiusdem precepti omnibus prioribus conventionalibus et eorum loca tenentibus, quatenus declaraciones et ordinaciones capitulorum generalium et provincialium semel in mense legi faciant fratribus congregatis in capitulo vel in mensa. Si quis autem frater tunc absens fuerit, ille sub eodem precepto infra id tempus, cum presens fuerit in conventu, easdem teneatur legere vel audire intelligibiliter et perfecte. Et nichilominus volumus, quod quilibet frater ordinis consimiliter sub precepto legat vel audiat omnes integraliter constituciones nostras ad minus quilibet anno semel.

Item. Ne bona communia distrahantur, volumus et ordinamus, quod anniversaria et libri sumptuosi necnon concessiones eleemosyne perpetue, sive quevis alia bona conventuum immobilia precium, decem florenorum et supra coniunctim vel divisim valencia, nullatenus vendantur seu quovis modo alienentur per quemcumque, nisi de licencia venerabilis patris magistri ordinis aut priorum provincialium, que non concedatur sine causa multum rationabili et urgente; quod si aliter factum fuerit, volumus totum esse irritum el inane. Mandantes universis presidentibus conventuum, quod de bonis communitatis faciant in quolibet officio inventaria duplicata, quorum unum per patrem, qui exercebit officium rerum in inventario contentarum, et aliud in communi conventus deposito teneatur.

Item. Volumus, quod nullus frater recipiat aliquem librum ad usum sine consensu, nisi in aliquorum presencia seniorum per manum presidentis illius conventus, ad quem liber huiusmodi pertinebit. Presidens vero illum librum a die collacionis eiusdem, scribat in uno libro ad hoc deputato, quem volumus conservari in communi deposito conventus ad cautelam. Fratres autem iam libros ad usum possidentes tradant eos in scriptis presidentibus conventuum, quorum libri sunt, qui conscribant ipsos in libro superius memorato; alias privamus eos usu librorum talium per presentes. Prohibentes fratribus universis, ne communicent qualitercumque libros predicabiles personis extra nostram obedienciam constitutis, nisi de reverendi patris magistri ordinis aut suorum provincialium speciali licencia petita pariter et obtenta. Quilibet autem frater, qui librum sine consensu ad usum

vendiderit vel impignoraverit aut qualitercumque alienaverit sine licencia sui superioris, furti iudicio condempnetur.

Item. Ordinamus, quod omnia missalia ordinis maxime in loco canonis corrigantur, quibus officium nostri doctoris egregii sancti Thome integraliter annotetur; adiuentes, quod post graciarum actiones in omnibus conventibus semper dicatur in choro: Salve regina, voce submissa cum responsu et collecta de beata virgine, sicut ad horas diei fieri consuevit.

Item. Mandamus fratribus universis, qui ratione officii aut evitandi scandali vel imposite penitencie non sunt alibi assignati, quod redeant ad suos nativos conventus, quibus eos ex nunc simpliciter assignamus; ordinantes, quod studentes Parisius assignati remaneant ad minus per unum annum, alias volumus, quod ad lectionem quamcumque nequeant per aliquem in posterum promoveri; adiuentes, quod nulli studenti extra provinciam suam ad studium misso possit aliquis alias substitui ibidem per quemcumque infra sex menses computandos a possessione sui studii, nisi talem studentem infra tempus pretaxatum mori contigerit vel aliter legitime impediri; et volumus, quod deinceps, qui fuerint apostate vel sentencialiter incarcerati, non possint lectores fieri aut in priores aliquatenus confirmari.

Item. Ordinamus, quod nullus frater aliquam capellaniam recipiat absque licencia sui provincialis. Quod si oppositum fiat, totum emolumenntum suo conventui simpliciter applicamus.

Item. Insuper volumus, quod nullus promoveatur ad sacros ordines, nisi attigerit tempus secundum canonum sanctiones.

Item. Ordinamus, quod quilibet frater iuvenis non competenter sciens scribere aut cantare, cogatur addiscere ad scriendum et cantandum per abstinentiam in pane et aqua et privacionem graciarum.

Item. Ordinaciones factas in capitulo Brugensi de non provocando dominos prelatos in sermonibus sub pena privacionis vocis, quam transgressores ipso facto incurvant; et de non imponendo thesim alicui indebit ac eiam inconsulte; de bona educacione noviciorum ei ipsorum receptione; de modo visitandi et visitatores instituendi; de libera electione; de modo procedendi ad eamdem, hoc adiecto, nisi forte omnes electores essent presentes in conventu, qui absque dolo et fraude concorditer vellent eligere infra tres dies pretaxatos; et de lectoribus sentenciarum et biblie in universitatibus, quod veniant pro tempore; et faciendo fidem superioribus de graciis quomodolibet impetratis, necnon de studentibus de studio redeuntibus sine littera testimoniali; quodque in scrutinis priorum provincialium dies et loca pariter annotentur; et quod magistri regentes in universitatibus non se absentent, donec presentem habeant successorem, cum omnibus et singulis clausulis suis in forma volumus in suo robore firmiter permanere.

Item. Volumus, quod nullus frater, cuiuscumque ordinis existat, teneat duas habitaciones in conventibus quibuscumque, adiuentes, quod famulus non teneatur ad expensas conventuum per quemcumque, nisi fuerit actu regens in studio generali aut inquisitor vel ordinis procurator.

Item. Volumus, quod fratres conversi portantes alba scapularia, nisi licenciam habeant specialem, ad formam constitucionis absque mora penitus reducantur; super quo presidencium conscientias oneramus.

Item. Denunciamus, quod quicumque frater ordinis nostri per se vel per alium ordinacionem de se vel de alio factam, vel obedienciam sibi vel alii fratri iniunctam per quamcumque personam extra obedienciam nostri ordinis constitutam procuraverit revocari vel in aliqua provincia seu conventu vel eiam officio seu in studio generali ponit, remanere vel inde amoveri, ipso facto sentenciam excommunicacionis se noverit incurrisse; quam reverendus pater magister ordinis in diffinitorio iuridice protulit coram nobis; a qua nullus valeat absolvi nisi per magistrum ordinis vel per eum, cui super hoc commiserit vices suas.

Item. Ordinamus, quod omnes fratres validi, cuiuscumque gradus aut condicionis existant, in conventu existentes, bis comedant aut ad minus semel in refectorio in qualibet septimana; prohibentes in virtute sancte obediencie omnibus fratribus, quatenus nullus comedant in prandio sive cena infra conventum extra quatuor loca regularia, nisi notabiliter debilis fuerit aut decumbens.

Item. Precipimus in virtute sancte obediencie sub pena excommunicacionis et iniungimus omnibus magistris in theologia, quod antequam disponant de sufficiencia et moribus fratrum licenciandorum coram cancellariis universitatis, primo omnia et singula, que de huiusmodi licenciandis fratribus depositaverunt, suo superiori dicant et explicitent, conferendo eidem (eadem) de hiis, que debebunt deponere vel non de huiusmodi licenciandis. Ordinamus et districte mandamus provincialibus prioribus, quatenus per preceptum et sentenciam excommunicacionis inquirant de diffamatoribus in hac materia, et inventos puniant tanquam sui ordinis destructores, arcendo quoscumque fratres, ad quos non spectat facere testimonium de licenciandis ad magisterium, quod nullatenus se intromittant de cetero de tali testimonio perhibendo.

Item. Omnem fratrem sine socio nostri ordinis extra incidentem ipso facto tenore presencium voce privamus, subiicientes eidem pene quemlibet fratrem camisiam [lineam] deferentem; quod si presidens fuerit, toto tempore, quo illa utetur, a suo officio presidencie decrevimus et volumus esse suspensum; revocantes omnes gracias exemptorias fratribus a quocumque concessas sub quacumque forma verborum, eciamsi de verbo ad verbum de ipsis oporteret singularem fieri mencionem.

Item. Denunciamus fratribus universis, quod ex antiqua declaracione ordinis fratres inquisidores de personalibus suis prioribus conventionalibus et pertinentibus ad officium inquisitionis suis prioribus provincialibus debent reddere racionem.

Concedimus prioribus provincialibus Terre Sancte et Grecie, quod quilibet ipsorum possit sue provincie viginti fratres extraneos simpliciter assignare, de consensu tamen provincialium, de quorum provinciis fratres huiusmodi assumentur, necnon etiam illos, qui ad predictas provincias veniunt cum litteris testimonialibus suorum provincialium et ibi voluerunt remanere.

**Iste sunt absoluciones.**

Absolvimus hos priores provinciales: Anglie, Polonie.

Item. Hos priores conventuales provincie Aragonie: Balagarii, Urgellensis, Illerdensis, Minoricensis et Calatauibii; et volumus et ordinamus, quod priores in hiis actis absoluti vel qui per litteras absolvantur, isto anno in eisdem provinciis seu conventibus in eis officiis nullatenus resumantur nec confirmari valeant per quemcumque.

Facimus vicarios: in provincia Anglie fr. Guillelmum Andree, magistrum in theologia, de provincie Anglie. In provincia Polonie fr. Iohannem de Brega, priorem Scalviensem<sup>1</sup>, qui fuit anno preterito diffinitor capituli generalis Brugis celebrari, donec priores provinciales in predictis provinciis electi fuerint et confirmati et presentes extiterint in eisdem.

Concedimus cuilibet provincie licenciam duos conventus recipiendi.

Declaramus hanc, quando aliqua responsoria non possunt dici aliquando in anno, nisi in tercia feria vel in sabbato secundum rubricas ordinarii, in tali tercia feria vel in sabbato non debet fieri officium de beato Dominico vel in sabbato de beata virgine illa vice.

**Iste sunt assignaciones.**

Assignamus ad legendum sentencias Parisius pro anno immediate sequenti fr. Guillelmum de Marreija<sup>2</sup> de provincia Francie; pro anno secundo, quantum nostra interest, fr. Gombaldum de Vlugia de provincia Aragonie<sup>3</sup>; et pro anno tertio, quantum nostra interest, fr. Simonem Bardelli<sup>4</sup>, quem in casu, quo contigerit fr. Guillelmum de Marreija impediri, ad legendum sentencias pro anno immediate sequenti Parisius assignamus.

In Oxonia ad legendum sentencias pro anno presenti fr. Henricum Alberti de provincia Saxonie.

In Cantabrigia pro lectore sentenciarum pro primo anno extraneis debito fr. Bartholomeum Stivil<sup>5</sup> de provincia Aragonie, cui substituimus in casu, quo ipsum contingere impedit, fr. Bernardum Mauricii de provincia Provincie.

Item. In conventu Bononiensi assignamus pro lectore principali fr. Peregrinum de Pipo, magistrum in theologia, de provincia Tholosana.

Ad legendum sentencias ibidem fr. Franciscum de Imola de provincia Lombardie inferioris; pro anno secundo, quantum nostra interest, fr. Martinum de Blanco de provincia Tholosana. In conventu Florentino assignamus regentem fr. Leonardum Deffoliciano (!), magistrum in theologia de provincia Lombardie superioris.

Pro baccalario ibidem assignamus fr. Iohannem de Piperno de provincia Romana; et pro anno secundo, qui est primus annus extraneis debitus, quantum nostra interest, fr. Antonium Folqueti<sup>6</sup> de provincia Aragonie inter extraneos primo loco, et pro alio anno extraneis debito, quantum nostra interest, fr. Antonium de Peravissino de provincia Lombardie superioris. Dispositionem autem aliorum lectorum committimus provinciali Romano, ut ipse provideat, secundum quod honori ordinis sibi videbitur expedire. In Monte Pessulano pro lectore fr. Petrum Lileti, licenciatum in theologia; ad legendum sentencias ibidem fr. Petrum Campmanii.

In Colonia ponimus pro lectore fr. Iohannem de Constancia; ad legendum ibidem sentencias fr. Theobaldum de Alberic; magistrum studencium fr. Iohannem de Sigullis. Dispositionem studii Neapolitani committimus riori provinciali regni Sicilie. Dispositionem conventus Magdeburgensis committimus provinciali Saxonie.

In conventu Mediolanensi assignamus pro lectore fr. Vercellinum de Vercellis<sup>7</sup>; ad legendum sentencias ibidem fr. Blasium de Gluciano; magistrum studencium fr. Luguinum de Novaria.

Ordinacionem vero conventus Barchinonensis committimus provinciali Aragonie.

Ordinacionem studii Pragensis committimus provinciali Bohemie.

In studio Salmantino assignamus pro lectore fr. Iohannem Capellanum; reliquorum lectorum ibidem dispositionem committimus provinciali Hispanie.

Ordinacionem omnium studiorum generalium committimus reverendo patri magistro ordinis, ut ipse de lectoribus, baccalariis, magistris studencium et biblicis provideat, secundum quod iudicaverit honestati ordinis expedire.

Denunciamus fratribus universis, quod quicumque frater ad Romanam curiam accesserit sine licencia magistri ordinis aut cum intencione accedendi iter arripuerit, seu in ea remanserit ultra terminum sibi assignatum, vel habens etiam licenciam super hoc solus sine socio fratre ordinis ipsam curiam intraverit, et qui in ea solus discurrerit, vel negocium duxerit aliquod absque scitu et licencia procuratoris ordinis in curia generalis,

<sup>1</sup> Huius nominis conventus in Polonia non existit; legendum esse arbitror “Zlupensis”. Cf. SSOP. I, pag. XI, n.X.

<sup>2</sup> De fr. Guilelmo de Marreija cf. DENIFLE l.c. pag. 190.

<sup>3</sup> De fr. Gombaldo de Vlugia cf. ibid; SSOP. I, 686; MOPH. VII, pag. 56.

<sup>4</sup> De fr. Simone Bardelli cf. DENIFLE l.c.

<sup>5</sup> De fr. Bartholomaeo Stivil cf. MOPH. VII, pag. 53.

<sup>6</sup> De fr. Antonio Folqueti cf. ibid. pag. 61.

<sup>7</sup> De fr. Vercellino de Vercellis cf. SSOP. I, 822.

cuiuscumque gradus aut condicionis existat, vel qui in arte alchimie operatus fuerit ubicumque, seu ad deliberacionem alicuius fratris ordinis incarcerati operam dederit efficacem; qui aliquid predictorum fecerit, transgressionem precepti, excommunicacionis sentenciam incurrit ipso facto, quam reverendus pater magister ordinis coram diffinitoribus iuridice protulit in diffinitorio de omnium nostrorum consilio et assensu; cuius absolucionem sibi soli reservavit. Fratres vero cum ad curiam venerint undecumque, cuiuscumque gradus aut condicionis existant, infra duos dies naturales, in quo illam intraverint, procuratori ordinis se presentent sub precepto, causas pro quibus veniunt eidem fideliter relaturi, et de ordinacionibus reverendi patris magistri ordinis et procuratoris predicti se informent ad plenum, eidem ac suis ordinacionibus [et] vicario generali magistri ordinis parendo humiliter et devote; et volumus et procuratori prefato districte imponimus et mandamus, quatenus delinquentem in aliquo premissorum sibique inobedientem et rebellem arrestet, quamcicis possit, et penas imponat eidem debitas iuxta predicta, et contra nostrarum seriem constitutionum facientes cum effectu, invocato, si necesse fuerit, auxilio brachii secularis, vel si sibi magis expediens videatur, eos, qui aliquid predictorum in curia commiserint, postquam eos denunciaverit penas incurrisse, deferat et remittat suis prioribus provincialibus penis ipsis, ut expedit pro honore ordinis, puniendos.

Provinciarum vero et conventuum rectores omnes ordinis et singuli eidem procuratori ordinis eiusque vicario, quoad predicta necnon eciam ad respondendum de iusticia querellantibus in curia coram eo, cum ipsis ad eos remiserit cum litteris suis obedire teneantur, sicut nobis, quare super predictis omnibus et singulis committimus [ei] plenarie vices nostras.

Nec volumus, quod aliquis inferior magistro reverendo de predictis aut aliquo predictorum absque illius procuratoris licentia se valeat intromittere aut eum aliquatenus super hiis impedire, sub precepto imponentes fratribus universis presidentibus, ut quemcumque fratrem de curia Romana redeuntem sine litteris testimonialibus dicti procuratoris aut eis declaratis ab eodem procuratore infra octo dies coram aliquibus antiquis fratribus publice denuncient voce privatum, quem nos tenore presencium privamus, ad quam non possit restituiri nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale, vel alias penas incurrisse secundum declaracionem procuratoris supradicti vel eius vicarii in curia Romana supradicta.

Item. Precipimus in virtute sancte obediencie cuilibet priori provinciali et vicariis generalibus eorumdem, ut procuratori ordinis in Romana curia pro expensis ibidem factis et faciendis per eumdem, hinc ad festum nativitatis domini immediate sequens mittant sex bonos florenos de Florencia, et illi, qui aliud ei debent de tempore preterito, infra dictum festum eidem satisfaciant integraliter et perfecte.

Item. Omnes habilitaciones fratrum quorumcumque ad studia generalia, exceptis habilitationibus illorum fratrum, quibus iam licencia secundum morem aliquarum universitatum data est seu [qui] interpretati sunt in universitate aliqua, et illorum, qui in presenti generali capitulo sunt ad habilitationem aliquam nominati, factas seu concessas per quemcumque, aut quecumque capitula generalia seu provincialia virtute seu vigore cuiuscumque auctoritatis ordinis nostri, tenore presencium simpliciter revocamus nec volumus, quod de cetero habilitari aliquis frater valeat per quemcumque ad lecturam aliquam in universitate quacumque, nisi per duos annos vel tres ad plus lecturam sentenciarum immediate precedentes.

Rogamus autem dictum reverendum magistrum ordinis et supplicamus eidem ad evitandum fraudes, que in promocionibus aliquorum contigisse novimus aliquando, quatenus nullum fratrem de cetero habilitet ad quamcumque lecturam in universitatibus theologie, nisi eos, quos priores provinciales et diffinitores capitulorum provincialium, de quorum provinciis fuerint fratres huiusmodi, promovendos ad hoc presentaverint, qui experientiam habuerint de promovendorum sufficiencia, moribus atque vita.

Committimus reverendo patri magistro ordinis, quod provinciis Terre sancte et Grecie, quocienscumque et in quocumque casu ipsas vel aliquam in posterum contingere priore provinciali carere citra immediate sequens capitulum generale, eisdem provinciis et ipsarum cuilibet de prioribus provincialibus providere valeat, secundum quod sibi videbitur expedire.

Item. Concedimus et committimus eidem magistro reverendo auctoritatem nostram in omnibus et per omnia, quantum possumus et nostra interest, tam circa assignaciones generalissimi capituli quam circa reformaciones, disposiciones, dispensaciones et ordinaciones quascumque, necnon et circa omnia alia et singula, que paci et tranquillitati seu conservacioni ordinis aut conventuum vel fratrum singularium iudicaverit expedire.

Cum capitulo generali pluribus de causis visum fuerit expedire, quod capitulum generalissimum ad serenitatem conscientiarum fratrum sit in ordine celebrandum, ideo mandamus et firmiter precipimus, ut provincie universe nostri ordinis in suis capitulo provincialibus immediate sequentibus deliberent, an expediat ordini nostro, quod celebretur ad serenitatem conscientiarum fratrum aliquod capitulum generalissimum, et quod ille provincie, quibus hoc visum fuerit expedire, ipsum capitulum generalissimum petant et cartas scribant fideliter et secrete, sub sigillis suorum provincialium et omnium diffinitorum suorum provincialium capitulorum, ipsasque mittant infra instans festum purificacionis beate Marie virginis magistro reverendo, ut ipse magister ordinis dictum capitulum generalissimum debitum loco et tempore convocare et assignare valeat, et assignacionem et convocationem huiusmodi generalissimi capituli provinciis intimare, ut sic in suis aliis immediate sequentibus capitulo provincialibus secundum nostrarum seriem constitutionum talis generalissimi capituli celebracio pertinebit et in quos diffinitores fratres provinciarum suarum, prout exigit auctoritas generalissimi, plenarie transferant vota sua.

**Iste sunt penitencie.**

Quoniam diffinitores capitulorum provincialium provincie Theutonie, Bohemie, Polonie, Anglie, Hispanie in scrutiniis suorum priorum provincialium obmiserunt annotare millesimum, diem atque locum, contra ordinacionem precedentis capituli generalis, imponimus ipsis tres dies in pane et aqua, in quibus sub precepto sancte obediencie infra duos menses a noticia presencium teneantur indispensabiliter abstinere.

Item. Absolvimus vicarium datum et institutum in Dalmacia per provincialem Ungarie, imponentes eidem provinciali in virtute sancte obediencie, quod diligenter inquirat per omnem censuram ecclesiasticam, qui fuerint fratres rebelles seu inobedientes seu irreverenter tractari procurantes per personas seculares, et inventos puniant taliter, quod transeat ceteris in exemplum; imponentes predicto provinciali, quod de maturo fratum consilio vicarium de cetero ibidem instituat, qui zelator sit sui ordinis, matus pariter ei discretus.

Item. Declaramus, quod capcio fratrum nostrorum facta in conventu Maioricensi, iam sunt quatuor anni vel circa, quantum apparet ex propositis coram nobis, iniuste et indebit fuit facta et non exigentibus demeritis eorumdem.

Item. Volumus mandamus et ordinamus, quod quilibet prior provincialis pro quilibet conventu sue provincie pro presenti anno unum florenum pro fabrica venerabilis sepulchri sancti Thome procuratori ordinis ad curiam Romanam mittat a noticia presencium vel priori Tholose; pro alio vero anno mittat modo simili pro quilibet conventu sue provincie unum florenum ad sequens capitulum generale.

Cum reverendus pater magister ordinis ad honorem nostri doctoris egregii sancti Thome sepulchrum eiusdem sacrosancti corporis edificare ceperit in Tholosa, in materia et forma quam plurimum sumptuosum, ut expensis tanti operis sufficiat, exhortamur affectu, quo possumus, fratres singulos, necnon eiusdem imponimus in remissionem peccatorum suorum, quatenus personis devotis eidem glorioso doctori suadeant, quod per eleemosynas suas ad tam sanctum opus manus suas porrigant adiutrices; quibus omnibus huiusmodi benefactoribus concedit centum dies de indulgencia dominus noster papa, cuius in curia Romana habetur bulla. Quidquid autem inde receperint, mittant ipsi patri reverendo tam cito, sicut poterunt, vel saltem deferant ad immediate sequens capitulum generale.

Item. Precipimus et mandamus in virtute sancte obediencie universis presidentibus conventuum et prioribus monasteriorum quorumcumque, quatenus infra unum annum a noticia presencium copiam bullarum omnium, que diligent habita inquisizione reperiuntur in suo conventu vel monasterio, integraliter mittant suo priori provinciali vel eius vicario generali, annotando in copia summum pontificem, qui concesserit tale privilegium, ut in bulla seu sigillo plumbeo invenitur, annotando etiam conventum, ubi talis bulla reservatur, demptis illis bullis, quorum tota bulle substancia in privilegio, quod privilegium magnum seu maxime magnum dicitur, continetur. Intelligimus autem de illis bullis, que utilles esse possunt toti ordini aut provincie alicui seu officio magistri ordinis vel priori provinciali aut inquisitori aut conventui alicui sive monasterio, si exinde saltem indirecte de talibus bullis tangentibus conventus vel monasteria ordinis posset commoditas aliqua discretorum iudicio evenire.

#### **Ista suffragia pro vivis.**

Pro sanctissimo in Christo patre et domino domino nostro summo pontifice quilibet sacerdos tres missas. Pro reverendissimo in Christo patre ac domino domino cardinali Hostiensi<sup>8</sup> quilibet sacerdos duas missas.

Pro reverendissimis in Christo patribus ac dominis dominis cardinalibus Boloniensi<sup>9</sup>, Tusculano<sup>10</sup>, Albanensi<sup>11</sup>, Belliforis<sup>12</sup>, sancti Marcialis<sup>13</sup> de Agrifolio<sup>14</sup>, Neapolitano<sup>15</sup>, Ierosolymitano<sup>16</sup>, Tholosano<sup>17</sup>, quilibet sacerdos unam missam. Pro reverendissimo in Christo patre ac domino domino Guilielmo<sup>18</sup> cardinali, et

<sup>8</sup> Guilelmo Sudre O. Praed.; de quo supra pag. 330 l. I; prom. 18 Sept. 1366 tit. ss. Ioh. et Pauli, voc. "Massiliensis" postea (post 10 Maii 1367) ep. Ostien. † 18 Apr. 1373; cf. EUBEL l.c. pag. 20.

<sup>9</sup> Guidone de Bolonia (Bouloyne) tit. s. Caeciliae, prom. 20 Sept. 1342; † Ilerdae 25 Nov. 1373 l.c. pag. 17.

<sup>10</sup> Aegidio Isalini (Aycelini) de Monteacuto, tit. s. Martini in mont., postea (1386 Iul. 26) ep. Tusculan. prom. 17 Sept. 1361; † Avin. 5 Dec. 1379 l.c.p. 19.

<sup>11</sup> Anglicus Grimaldi O.S. Aug. prom. 18. Sept. 1366, tit. s. Petri ad vinc., (postea 17 Sept. 1367) ep. Albanen., † Avin. 16 Apr. 1388; l.c. pag. 20.

<sup>12</sup> Petro Rogerii, prom. 29 Maii 1348, diac. s. Mariae novae, card. "Bellifortis" vulg. nuncup., postmodum Gregorio papa XI, l.c. pag. 18.

<sup>13</sup> Hugone de s. Martiali prom. 17 Sept. 1366, diac. s. Mariae in porticu, vulg. "s. Martialis" † a. 1403, l.c. pag. 19.

<sup>14</sup> Guilelmo de Agrifolio (Aigrefeuille), prom. 12 Maii 1367 tit. s. Stephani in Coelio monte, vulg. "de Agrifolio", † Avin. 13 Ian. 1401; l.c. pag. 20.

<sup>15</sup> Bernardo de Bosqueto, aep. Neapolitan. prom. 22 Sept. 1368, Bas. XII apost., † Avin. 19 Apr. 1371; l.c.

<sup>16</sup> Philippo Cabassole patr. Hierosol. prom. 22 Sept. 1368, tit. ss. Marcellini et Petri, postea (31 Maii 1370) ep. Sabinen., vulg. "Hierosolymitanus", † Perusii 27 Aug. 1372 l.c.

<sup>17</sup> Raymundo de Canhiliaco (Canillac) aep. Tolosan. prom. 17 Dec. 1350, tit. s. Crucis in Hierusalem, postea (1361 Nov. 4) ep. Praenestin., † Avinione 20 Iunii 1373; l.c. pag. 18.

<sup>18</sup> Guilelmo Iudicis (de la Jugée) prom. 20 Sept. 1342 diac. s. Mariae in Cosmedin postea (22 Sept. 1368) translatus esse dicitur in presb. ordin., † 28 Apr. 1374; l.c. pag. 17.

venerabili collegio dominorum cardinalium quilibet sacerdos unam missam. Pro domino episcopo Valencie et patre ac fratribus ipsius, quilibet sacerdos duas Missas. Pro dominis canonicis et curatis civitatis Valencie quilibet sacerdos unam missam.

Pro dominis archiepiscopo Tarragonensi et episcopis Dertusensi, Illerdensi et Vicensi quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo imperatore rege Romanorum, semper augusto, et domina imperatrice eius consorte, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo domino rege Aragonie et domina regina consorte sua ac liberis eorumdem quilibet sacerdos tres missas.

Pro illustrissimo principe domino rege Francorum, ac domina regina eius consorte et unigenito eorundem quilibet sacerdos duas missas.

Pro illustrissimis dominabus domina regina Iohanna, domina regina Blanca, domina comitissa de Alenconio, et domina Iohanna, filia domini regis Aragonie, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo domino rege Anglie quilibet sacerdos unam missam.

Pro dominis regibus Castelle, Portugallie, Navarre et eorum consortibus ac liberis et domicellis, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimis dominis ducibus Andegavie, Biturie, Burgundie et principe Galearum, quilibet sacerdos unam missam.

Pro inclyto domino comite Empuriarum, et domina comitissa matre sua et pro quibus intendit, quilibet sacerdos duas missas.

Pro domina Margarita de Cardona, et pro quibus intendit, quilibet sacerdos unam missam.

Pro domina Maria de sancto Paulo comitissa Combroxie, et domina Valencie quilibet sacerdos unam missam.

Pro dominabus sororibus Maria de Claramonte, Maria de Borbonio et Maria de Britania, quilibet sacerdos unam missam. Et pro sorore Iacoba Valencie et sorore Alemania, et pro quibus intendunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino Philippo Boyll et consorte ac liberis eorumdem quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino magistro de Muntessa, et capellano Amposte, Berengario de Crudillis commendatore de Muntessa, et bono statu ordinis sui, quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino comite Urgelli, et domina comitissa eius consorte ac domina comitissa matre ipsius quilibet sacerdos unam missam.

Pro domina vicecomitissa de Cardona et domino vicecomite eius filio, et domina consorte sua et dominabus vicecomitissa de Capraria, et domina Timbos de Pulchroloco, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro dominibus Toda de Stincillis, Theresia de Boyll, Arnalda Blasi Ferdinandi, quilibet sacerdos unam missam.

Pro dominis militibus civitatis Valencie quilibet sacerdos unam missam. Pro dominis iuristis dicte civitatis quilibet sacerdos unam missam.

Pro dominis pannorum paratoribus, apotecariis, corregerariis et aliis ministris dicte civitatis Valencie quilibet sacerdos unam missam.

Pro confratribus sancti Narcisii et confratribus clericis quilibet sacerdos unam missam. Pro bono statu civitatis Valencie quilibet sacerdos tres missas. Item. Pro provinciali Aragonie, et pro quibus intendit, quilibet sacerdos unam missam. Item. Pro magistro Iohanne Mathei, et pro quibus intendit, quilibet sacerdos unam missam. Item. Pro fratre Bernardo Ferrerii, et pro quibus intendit, quilibet sacerdos unam missam. Item. Pro fratre Francisco de Pontonibus, et pro quibus intendit, quilibet sacerdos unam missam. Item. Pro fratre Iacobo Olivarii, et pro quibus intendit, quilibet sacerdos unam missam. Item. Pro fratre Petro Claranis, et pro quibus intendit, quilibet sacerdos unam missam. Item. Pro reverendo magistro ordinis quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro reverendis patribus diffinitoribus huius presentis capituli generalis quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro hiis, qui iuvarunt vel iuvabunt in posterum ad fabricam tumuli doctoris nostri eximii sancti Thome, quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro hiis, qui receperunt fratres venientes ad capitulum generale, et hiis, qui habent litteras de beneficiis ordinis, et hiis, qui cum nostri ordinis habitu sunt sepulti, quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro bono statu ordinis nostri quilibet sacerdos unam missam.

#### **Ista sunt suffragia pro defunctis.**

Pro reverendissimo patre domino domino Iohanne de Molendino<sup>19</sup>, olim cardinali, quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendissimo patre domino Cessarauguste, quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino Matheo<sup>20</sup>, olim cardinali, quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino infante Petro Berengario · ix<sup>o</sup> · comite Empuriarum, quilibet sacerdos unam missam.

<sup>19</sup> Iohannes de Molendino tit. s. Sabinae obiit Avinione 23 Febr. 1353; cf. EUBEL. l.c. pag. 18; DENIFLE Chartularium II indicem; SSOP. I, 627.

<sup>20</sup> De Mattheo de Ursinis O. Praed., cf. supra pag. 276 l. 20.

Pro reverendissimis patribus dominis Aquensi et domino Nicholao olim cardinali Aragonie<sup>21</sup> quilibet sacerdos unam missam.

Pro nobilibus Guilaberto de Scintillis et Petro de Cardona, quilibet sacerdos unam missam.

Pro quibusdam personis, quas intendit prior provincialis Tholosanus, quilibet sacerdos unam missam.

Letanie et salve regina more solito dicantur.

Sentencias iudicium approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus post duos annos immediate sequentes, in conventu Tholosano de provincia Tholosana.

Reverendo autem magistro ordinis, ne propter diuturnitatem temporis religio aliquod paciatur detrimentum, imponimus et mandamus, quatenus, si querelam seu querelas medio tempore audiverit de aliquibus provinciis aut prioribus provincialibus quibuscumque, quam cicius poterit, per se vel per suos vicarios studeat modis omnibus, prout tenetur ex sui debito officii reformare et corrigere tam in capitibus quam in membris.

Volumus autem et ordinamus, quod diffinitores [qui] in sequenti capitulo generali habebunt diffinire, locum intrent circa dominicam infra octavam ascensionis domini. Nullus autem frater ad dictum capitulum accedat sine reverendi patris magistri ordinis licencia speciali, nisi vocem habeat in capitulo, nec locum intret nisi ante sextam feriam pentecostes immediate precedentem. Quicumque vero contrarium fecerit, sit ipso facto voce privatus et penam culpe gravis facere teneatur.

Expliunt acta capitulo generalis Valencie de provincia Aragonie celebrati anno domini millesimo trecentesimo septuagesimo.

Ex actis capitulo generalis Tolosae  
celebrati anno Domini · M° · CCC° ·  
LXXII° .

Declaramus, quod ad benedictionem lectionis tantum debet inclinare frater, qui dicturus est lectionem.

In diffinitorio capitulo generalis Tholose celebrati sub magistro ordinis fratre H[elia] anno domini · m° · ccc° · lxxii° · Assignamus<sup>22</sup> ad legendum sententias Parisius frat. Simonem Vardeli<sup>23</sup> de provincia Francie. Pro anno vero secundo frat. Iohannem Castellanum de provincia Hispanie. Item pro anno tertio frat. Bonetum Litelli de provincia Francie. Item ad legendum ibidem bibliam immediate post primum, qui iam legit, frat. Iohannem Balbi[ni] de provincia Francie.

Ex actis capitulo generalis Florentiae  
celebrati anno Domini · M° · CCC° ·  
LXXIV° .

Constitucio nova de capitulo generali biennali vel triennali facta in capitulo Florentino auctoritate domini Gregorii pape · xi .<sup>24</sup>

Quia magister ordinis et eius vices gerentes et diffinitores capitulo generalis sicut possunt ex causa legitima quoad locum mutare capitulo generale, ita eciam quoad tempus prolongando vel accelerando ita quod acceleracio non possit fieri infra annum consignati capitulo nec prolongacio eiusdem ultra triennium, nisi vacacio fieri magistri in festo contingere vel post festum sancti Michaelis in tercio anno vel in primo triennali capitulo vel in secundo biennali, prout inferius expressatur; auctoritatem autem accelerandi vel prolongandi capitulo cuicunque vicario concedi posse simpliciter prohibemus, adiuentes quod quandocumque imminentे biennali capitulo magistro ordinem carere contigerit nulla mutacio quoad tempus fieri possit nisi magistri vacacio contingat in festo vel post festum sancti Michaelis in secundo anno, quia tunc supersederi debet a capitulo generali illo anno. Si vero anno primo imminentis triennalis capitulo ordo magistro caruerit, tunc accelerabitur capitulo, ita quod inter vacacionem magistri et capitulo electionis nisi unum festum pentecostes intervenire non possit, alias si post primum computandum a vigilia pentecostes exclusive magisterium vacare contingat, nulla capitulo mutacio quoad tempus tantum fiat, nisi contigerit uno anno in festo vel post festum beati Michaelis; quare tunc eciam supersederi debet a capitulo generali, ut expressum est, de capitulo biennali. Imminente autem biennali vel triennali capitulo non eligatur diffinitior capitulo generalis nec eius socius assignetur nisi in anno ultimo, quo scilicet celebrandum est capitulo generale. Et qui una vice electus fuerit ad predictam diffinicionem ad eandem eligi immediate sequenti vice non possit. Singulis annis nichilominus post festum pentecostes fiant capitula provincialia et scrutinia de provincialibus deferenda (!) per diffinitores vel socios eorum aut per socium provincialis in anno provincialium ad capitulo generale, qui diffinitor[es] duabus vicibus et provinciales tercia

<sup>21</sup> Nicolao Roselli, † Maioricis 28 Martii 1362; cf. EUBEL I.c. pag. 19 et supra pag. 335 l. 5.

<sup>22</sup> Quae assignationes desumptae sunt ex DENIFLE Chartularium, III, 206; cf. notas ibid. appositas.

<sup>23</sup> De fr. Simone Vardeli seu Bardelli cf. supra pag. 417 l. 13.

<sup>24</sup> Quae constitutio in linguam Gallicam translata invenitur in cod. ms. n. 32 pag. 368 sqq. bibliothecae publicae Autisiodorensis (Auxerre).

vice omnia diffinient, constituent et tractabunt. Insuper obitus fratrum defunctorum post precedens capitulum recitetur, ut fiat pro eis communis absolutio, ut est moris.

In capitulo Florentino anno domini · m° · ccc° · lxxiiii° · Hec constitucio fuit facta auctoritate pape Gregorii XI. in uno solo capitulo tantum et debet in fine constucionum poni.